

L.

Sed prius quàm ad hæc respondeamus observandum: triplicem olim rationem urbium fuisse. Aliæ fuerunt maximæ, aliæ mediocres, aliæ minimæ. Maximæ urbes sub Romanis suam propriam jurisdictionem & regionem habuerunt. Mediocres etiam quidem hæc habuere, sed non in eadem autoritate vel eodem modo. In Minimis jurisdicção fuit penes Proconsulem aut Præfectum provinciæ. Ad hunc modum ferme, si statum præsentem Imperii Romano Germanici intueamur, triplicem urbium conditionem etiam hîc deprehendemus.

LI.

Omnes enim quidem urbes quæ sunt intra limites Imperii sunt quodammodo Imperiales, non tamen omnes eo nomine audiunt. Aliæ nempe sunt membra Imperii mediatè, aliæ immediatè. Mediatè sunt quæ Imperatorum beneficio Principibus, retento jure superioritatis, commendatæ sunt; & licet pareant legibus Imperii, tamen in conventibus provincialibus solum comparent, & dicuntur Provinciales, Municipales Land oder Fürsten Städte. Quæ autem immediatè Imperio subsunt jus suffragii in conventibus Imperii habent & dicuntur liberæ Imperii civitates Freie Keiserliche Reichs Städte.

LII.

Præter has vero teste Myns. resp. 13. n. 10. dec. 2. & Casp. Kloke c. 5. n. 5. de contribut. sunt quædam civitates quæ in totum subsunt Principibus. Facile verò apparet, non ante hoc discrimen urbium hîc fuisse, nisi donec in unum Regnum cœpit Germania concrefcere. Hoc verò factum sub Francis. Ideoque tales urbes in antiquis monumentis non Imperiales sed regales dictæ: nec legere est ullam urbium paruisse nisi Regi. Fuerant quidem illis